



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 52. Sævissima pestis in Italia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Senatus edicto privilegia Facultatis Theologicæ confirmata sunt, & Episcopi Parisiensis sententia nulla, & irrita declarata est, utpote lata ex injusta causa, & contra privilegia Universitatis: porro ab illo tempore Maldonatus Parisiis Theologiam tradere cessabat, Bituricum secedens, ubi Jesuitæ jamjam Collegium possidebant: ibidem vero explanandis sacris literis operam dabat, simulque quibusdam suis operibus, quæ ad nos transmissa fuere, postremam manum admovebat: insuper in hoc suo recessu commentarium in quatuor Evangelistas, & in Prophetas minores conscripsit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1576.

§. LII.

*Sævissima pestis in Italia.*

Hoc anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto Italia ex illis pœnis, quibus Deus justam suam vindictam exerere solet, funestissimam experiebatur; quippe sævissima pestis Romæ anno priori initium, occasionem vero ex frequentissimo Peregrinorum, qui omni ex parte pro obtinendis anni sacri gratiis confluebant, numero sumpterat, atque intra brevissimum temporis spatium sese per totam Italiam diffuderat, tam horrenda strage, qua atrocior nec hominum memoria re-

Spond. hoc  
ann. n. I.  
Thuan. l. 62.

*Hist. Eccles. Tom. XLIX. X cole-*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1576.

colebatur, ac primo quidem hæc contagio a Tridentina urbe Veronam, atque inde Venetias, ac demum per reliquam hujus Reipublicæ partem propagata est.

§. LIII.

*Mediolanum pestilentia infectum.*

*Giessano  
vie de  
S. Charl.  
h. q. e. l.*

Hujus pestilentiae vis vel maxime in Mediolanensi urbe sæviebat, prout sanctus Carolus hujus civitatis Archiepiscopus prædixerat; postquam enim Monzenus Archipresbyter eidem nuntiaverat, quod in quodam pago haud procul ab urbe hominum quamplurimi subitanea morte eriperentur, sanctus Borromæus ad Jussanum Medicum reposuit: „falluntur Medici, dum febrem „acutam autumant id, quod tamen re- „ipsa morbus contagiosus est: vult enim „Deus Mediolanentem populum propter „peccata sua castigare, quapropter ad „subeundas calamitates, necnon ad auxilium cunctis, qui hac plaga affligentur, ferendum animus accingendus est. „ Sub idem quoque tempus Laudensem Episcopum jamjam cum morte luctari perceperat, idcirco confestim conscenso equo opem morienti laturus accurrebat, & quantumvis illum jamjam exspirasse in itinere intelligeret, nihilominus exequiarum officio functurus

rus